



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

I. Quia non solùm specialiter es electa & redempta; sed etiam causa es aliorum electionis ad gloriam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

CAPUT XII.

Beatam te dicat o VIRGO omnis
generatio.

1. Quia non solum specialiter es electa & redempta,
sed etiam Causa es aliorum electionis ad gloriam.



Amasc. lib. 4. de fide cap. 15. Deipara ante secula præcognitio DEI consilio prædestinata est, & diversis similitudinibus, & oraculis Prophetarum per Spiritum S. figurata, & prædicata prædefinito tempore, ex Davidica radice pullulavit. Quia ut *Leo serm. de passione.* Saluiteræ Virginis parus non extremi tantum temporis generationibus profuit, verum se etiam in præteritas refudit ætates. In quam rem *Anton. 4. p. tit. 15. cap. 1. p. 103.* Virgo est Mater omnium propter quatuor. 1. Quia genuit omnes Sanctos specialiter. 2. Propter curam, quam gerit omnium. 3. Dignitate quia, inquit, est primogenita ante omnem creaturam, & est excellentissima omnium creaturarum. 4. Prioritate prædestinationis: ipsa enim ante secula prædestinata est, ut esset et quo recreandum fuit omnè creatum, & sic dicitur de ea *Prov. 8. Dominum possedit me in initio viarum suarum*, id est à principio operum suorum, ut sit prima omnium quæ primæ creaturæ sunt. Ipsa Virgo cum decreta sit ab initio & ante secula creata, & statim adstitit ut Regina à dextris, cum omnes alij postea, & à sinistris Christo adstiterint: ipsa prima post Christum electa; jam si alij sancti etiam postea prædestinati impetrarunt pluribus ut nascerentur, quanto magis hæc Virgo? & cui nam impetravit? fortè tibi, forte mihi. Confirmat hunc discursum *S. Ambros. lib. 2. in Luc.* Nec mirum si Dominus redempturus mundum operationem suam inchoavit à Matre, ut per quam salus omnibus parabatur, eandem primam fructum haberet ex pignore. Nimirum adhuc in prævisione figurata est Virgo per arcam fœderis. *Chrysost. in Liturg.* Omnium Deus inurnatur in te Sacrosancta

Arca.

Arca. Jam verò Arca ante omnia vasa tabernaculi extracta, ut *Beda lib. 1. tabern. cap. 4.* observat. Virgo etiam de se dicit *Prov. 8. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret, ab aeterno ordinata sum.* Vias Domini explicat *Greg. 32. moral. cap. 18.* Quid vias Domini nisi ejus actiones accipimus, de quibus propheta dicit: *Non enim via mee, sicut via vestrae.*

Clarè id *Nicol. Cusanus.* Primus prædestinatorum, omniumque caput est Christus, secundum post Christum locum nobilissimum SSma Virgo inter prædestinatos habet. *Rupert. in Cant. 2.* facit Virginem sic loquentem. Præusquàm nascerer Deo præsens aderam, antequàm fierem, benè illi cognita fuerã. *Richard. Viet. in Cantic. c. 26.* Beata Maria omnium salutem desideravit, quæsiuit & obtinuit. *Salazar etiam lib. de Concept. c. 5. n. 11.* attribuit Suario quòd sentiat omnes tam Angelos quàm homines propter Mariam electos ad gratiam & gloriam. Et ita *Ecl. 24. Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi, in Jacob inhabita, & in Israel hereditare, & in electis meis mitte radices.* Sumi poterunt in Jacob, in electis, qui per Jacob intelliguntur, sicut reprobi per Esau. *Mitte radices:* ita ut sicut in arborem nihil humoris transit nisi per radicem, ita ad electos nihil transeat nisi per Virginem. *S. Germ. Patr. Constantinop. de zona cap. 11. refertur à Sario ad solum tomæti.* Nullus est qui salvus fiat, nisi per te SSma: nemo cui donum concedatur, nisi per te ô castissima! nemo est cujus misereatur gratia nisi per te ô honestissima! *Bernardin. tom. 2. serm. 64. art. 3. cap. 3.* id ipsum innuit, cum vocat eam Primogenitam redemptionis sui Filij JESU, & plus pro ipsa redimenda venisset Christum: quàm pro ulla alia creatura. Et *Bernard. super Missus hom. 2.* non noviter nec fortuito inventam, sed à sæculo electã, ab Altissimo præcognitam & sibi præparatã. *Damasc. lib. 4. fidei cap. 15.* ævo omni antiquiorem, ac præsciente Dei consilio prædestinatam. Ita autem factum esse *Galatin. arcan. lib. 7. cap. 2.* ad illa *Jer. 33. si irritum fieri potest pactum meum cum die.* Nisi pactum meum esset, id est nisi amore mei JESU & Mariæ diem ac noctem, leges cælo ac terræ non posuisset, hoc est mundum non creasset, & ideo amore JESU, & Mariæ mundum creavi, & ulterius amore intemeratæ Virginis quæ est mundi sapientia, creavit Deus cælum & terram. Et gravior illo *Bernard. serm. 3. super Salve Regina.* Propter hanc totus mundus factus est. Et sicut Adam primus creatus, dein Eva, tum omnes propagarunt: ita primò Christus à Deo electus ut *Ps. 39. in capite libri scriptum est de me:* deinde Maria, ut *Andr. Cret. serm. de Assumpt.* Hæc Virgo est declaratio profundorum Divinæ incomprehensibilitatis, hic est scopus, qui excogitatus est ante sæcula. Quocirca sicut Eva Ma-

ter posterorum; ita Maria Mater coeterorum electorum: ideoque passim sicut Christus 1. Cor. 15. dicitur *Novus Adam*, ita illa *nova Eva*. Undè illi Ecclesia appropriat illud Eccl. 2. 4. *Primogenita ante omnem Creaturam*. Et rursus ore suo Ecclesia. *Elegit eam DEUS, & praelegit eam*, id est prius elegit. Et quia regula est Theologorum ex *Divo Thoma sumpta 3. p. q. 27. a. 4.* Quos Deus ad aliquid elegit, ita praeprarat & disponit, ut ad illud ad quod eliguntur inveniatur idonei: juxta illud 1. Cor. 7. *Idoneos nos fecit ministros novi testamenti*, ut Jeremiam cum juberet esse Prophetam cap. 1. *Prophetam in gentibus dedi te*, ille se excusaret: *Ecce nescio loqui quia puer sum: continuo Deus aptavit illum ad hoc munus, Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum*. Undè cum aliquandò debebat Mater dici nostra ut ab Ecclesia vocata est: *Monstra te esse Matrem*, jam tum praeprarata fuit, & apta reddita ad hanc Maternitatem.

In hunc sensum loquitur *Andr. Cret. orat. de dormit. Virg.* Sola praeprer naturam fuit electa ad naturam renovandam, sola deserivit Opifici universae naturae. Et *Petrus Damiani serm. de Annunt.* In ipsa hoc totum faciendum decernitur, ut sicut sine illo nihil factum est, ita sine illa nihil refectionum sit. Et *Jren. lib. contra Valent. cap. 37.* Universo generi humano facta est Causa salutis. *Rabbi Accados Antonino Coss. Romano exponens illud Itai 9. Multiplicabitur ejus imperium*, colligit Matrem Messiae vocandam Mariam, cujus nomen ait contineri in dictione Hebraea *Immarbe*: id est ad multiplicandum, quod illa multiplicatura esset electos. *Bernardin. serm. 2. cap. 3. de glorioso nomine Mariae.* Hanc Matrem misericordiarum ante saecula Deus perpetuam praepreravit in Virginem dignissimam, Filius praelegit in Matrem, Spiritus S. novae gratiae Domicilium praepreravit. *Greg. in 1. Reg. illud Itai expendens. In illa die erit praepreratus mons domus Domini.* Mons fuit Bna Virgo Maria, quae omnem electae creaturae altitudinem electionis suae dignitate transcendit. Nos interim precemur cum *S. Anselmo de excell. Virg. cap. ult.* Intende Domina pijsissima ut nobis ad effectum proveniat, propter quod Deus noster ex tuo castissimo utero factus homo inter homines venit; nec sis quæsumus exoratu difficilis, quia procul dubio idem benignissimus Filius tuus erit ad concedendum, quidquid voles promptissimus: tantummodò itaque velis salutem nostram, & verò nequaquam salvi esse non poterimus, quid igitur stringet larga misericordiae tua viscera Domina contra nos, ut nolis juvare nos? ab initio renovationis humanae omnibus sub tuum praesidium confugientibus hucusque succurristi, & idcirco prima inter creaturas omni laude dignissima esse & dici meruisti: *ejus succurre, oramus, ut laus, quam per tot saecula dignè possedisti, continua tibi duret;*
Tibi

Tibi ergo nos commendamus, tu procura ne pereamus, effice potius ut salus nostra de die in diem multiplicetur per Filium tuum Dominum nostrum.

2. Quia non solum es sine macula concepta; sed etiam alios à macula temporalis, & aeterna praeservas.

S. Sabbe in Men. 3. Jan. dictum est: Tu o Sponsa Numinis, aquae in vitam aeternam salientis, atque vitam eandem in cunctos homines derivantis, publicum quoddam Labrum, Umbraculumque fontanum existis. Ex quo sequitur quod 17. Jan. S. Theoph. dixit: Mariae immaculatae, & omnium Sanctissimae Virgini faulta plaudamus acclamatione: ex ipsa enim donorum caelestium quae mentem humanam excedunt scaturigo nobis promanat, ut quae est Torrens quidam bonitatis Divinae. Ex iplo etiam cultu Conceptae sine macula Virginis, quinque honorum fontes emanare docet Joannes Herolt. 1. Veram contritionem 2. Consolationem in tribulatione. 3. Quod Praelati hoc festum devotè celebrantes ab honoribus & gradibus suis nunquam cum confusione deponentur. Uti testatur S. Anselmus cum dicit. Quisquis Praesul, aut Abbas aut Praelatus es, recole diligenter hanc festivitatem, & à cunctis jube eam coli, quod si eam toto corde amaveris, nunquam de tuo gradu cum confusione deponeris. 4. Quod fetus impraenatarum mulierum in utero custoditur. 5. Quod talis in exitu animae suae de corpore, nunquam à B. Virgine deferretur. Quartum bonum è Virgine procedens gravissimè Paulus Grosius S. Augustini discipulus epist. ad Eustochium asserit. Coram Deo novi, & in veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, supra quam devotè Mariae gratia imploratur, & dies Conceptionis ejus celebratur. Facit hoc quod dicit Gregorius Chortophilax orat. in Deip. Praesent. Pretiosum illud reverà Donarium atque venerabile, supremum, ac mundissimum illud Cimelium Virgo in quo thesauri gratiae fuerunt depositi, in quo oeconomicae opes ineffabili ratione repositae erant, in quo nostrae salutis erant condita pignora: Vas inquam illud impollutum, locum illum luminis, conceptaculum, ex quo salutis radij orbi universo illuxerunt. Impollutum verò probat in hunc modum S. Jhes. Tolet. Archiepisc. qui vixit anno 650. lib. de Virginis partu. Quomodo Spiritu S. replente eam, non sine peccato originali fuit, cujus etiam Nativitas gloriosa Catholice in omni Ecclesia Christi ab omnibus felix, & beata praedicatur? Enimverò si non beata esset, & gloriosa, nequaquam tam festiva celebraretur ab universis; sed quia tam solenniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiae, quod nullis quando nata est subjacuit delictis,

P p

nec